PS. AMALARIUS METENSIS

2. Hälfte 12. Jh.

Seite 16v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

remissionem peccatorum. Sed quia Adam per peccatum venit, ut per penitentiam et baptismum reformet ad suam imaginem primum Adam qui est in quatuor partibus mundi. quia Adam sparsus est in quatuor partes mundi. illo numero adcolligentem Adam recurrimus quem continet totus orbis primis litteris suis. **Ordo in capite ieiunii feria IIII^ta.**

IN CAPITE IEIUNII ueniunt ad collectam. hac die flectamus genua pronuntiante diacono super populum cum inclinatione capitis.

In primis agitur benedictio cineris. Omnipotens sempiterne deus parce metuentibus. al. Deus qui non mortem. al. Deus qui humiliatione flecteris. al. Omnipotens sempiterne deus. Sequitur antiphona. Exaudi nos domine. Interim ponendi sunt cineres super capita. sicut antiphona testatur. Inmutemur habitu. dicatque sacerdos inponendo cinerem. Memento homo quia pulvis es et in pulverem reverteris. Sequitur oratio. Concede nobis domine. Ad processionem per viam antiphone. Iuxta vestibulum et altare. Parce domine. R. Emendemus in melius. Pensandum est virtus abstinentie quam parva respicitur quia non nisi ex aliis virtutibus commendatur. Hinc quoque Iohel ait. Sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam deo abstinentiam carnis ostendere. Admonendi sunt abstinentes ut noverint quia tunc placentem deo abstinentiam offerunt cum ea que sibi de alimentis substrahunt indigentibus largiuntur. Sollerter namque audiendum est quod per prophetam dominus redarguit dicens: Cum ieiunaretis et plangeretis in V° et septimo mense per hos LXX annos. numquid ieiunium ieiunastis mihi. Et cum comederetis et biberetis. numquid comederetis et biberetis vobismetipsis. Non enim deo sed sibi quisque ieiunat. si ea que ventri ad tempus subtrahit. non inopibus tribuit. sed ventri postmodum offerenda custodit. **De ulteriore ultima benedictione**

Est ultima benedictio de qua nunc agimus quam potentissimus frequentamus tempore quadragesimali. Hoc est post illa ultima continuata in qua spiritualis refectio commendatur. Restat hec ulterior de qua nunc ut diximus agitur in qua milites Christi commendantur pugne contra antiquum hostem. Si omni tempore necesse est paratum esse bellicosum adversus insidias sive impetus inimicorum quanto magis in procinctu. Quadragesimali tempore scit adversarius a sancta ecclesia singulare certamen commissum esse contra se. ac ideo constat fortius ad rapiendum et prosternendum si forte aliquem negligentem invenerit. Sacerdos noster ut prudens agonitheta quanto in periculo maiore videt milites fore. tanto munit eos amplius sua benedictione. Arma nostra contra diabolum sunt humilitas et cetere virtutes. Vult sacerdos noster ut nostris armis vestiti simus. propterea iubet per ministrum. ut humiliemus capita nostra deo. et ita tandem infundit super milites protectionem benedictionis sue.